

Nro 167. **E**xcelsum C. R. Gubernium Consistorio iteratis vicibus commendavit, ut praefixus relationum periodiarum terminus stricte observetur. Consistorio hucusque impossibile fuit altis praescriptis quoad hoc punctum, ea ac fas est exactitudine devenire, quia nonnulla Officia decanalia suas respectivas relationes, quibus generalis relatio Consistorii superstrui debet, nimis sero horsum immittebant. Ideo Consistorium necessitatum fuit, sub 24. Decembris 1840. Nro 2367 cunctis Officiis decanalibus commemorare, ne similis protractio in futurum practicetur. Quia tamen Decani huic dispositioni satisfacere nequeunt, nisi a suis Condecanalibus quaestionatas relationes tempestive obtineant, ideo universum Venerabilem Clerum Curatum praesentibus admonemus, ut praescriptos ejusmodi relationum terminos inviolabiliter observet. Qui contrafecerit, per respectivum Decanum Officio Nostro deferatur, quo facto, ingratas inobedientiae sequelas sibi ipsi adscribendas habebit. Premissae die 21. Januarii 1841.

Nro 204. Excelsum C. R. Gubernium alta Resolutione sua ditto 21. Decembris 1840. Nro 83810 in sequelam Supremi C. R. Cancellariae Aulicae Decreti ditto 12. Novembris 1840. Nro 30217 adaperuit Consistorio huic, C. R. Judicia poenalia inter causas augescentis hisce in regnis quotannis criminum numeri, tamquam palmariam designasse defectum sufficientis apud rudem populum institutionis religiosae, quae omnino, solide ac modo captui populi accomodato tradita, efficacissimum est medium ad refrenandam perversorum affectuum vim, atque coercendam libidinem, in legum divinarum ac humanarum transgressionem effusam. Eapropter Excelsum Regimen, dum sub uno Officiis Circularibus per Magistratus et Dominis loci stricte desuper invigilare injungit, ut omnes communitates ad parochiam spectantes, praesertim vero omnes parochiani de plebe rudiori, institutioni religiosae diebus dominicis vel etiam alias haberi solitae intersint, Consistorio huic simul demandat, quatenus Clero Curato per respectivos Decanos sanctum officium religiosae populi institutionis et animarum saluti, et bono reipublicae ex aequo consulenti, graviter inculcetur, atque accuratissima officii hujus expletio efficaciter supervigiletur. —

Huic altae pietissimi Regiminis Ordinationi satisfaciendes, universos de Clero Curato praesentibus praemonemus et obstringimus, ut memores suae vocationis et susceptorum officiorum, ad quod alias quavis occasione eos exhortamur, totis viribus ad inculcandam fidelibus legum divinarum humanarumque observantiam incumbant, ac atrocissimas sequelas impiae et criminosae vivendi rationis, in hac et altera vita perferendas anteposendo, ad meliorem vitam eos excitare, et in ea confirmare adlaborent. Premissae die 29. Januarii 1841.

Nro 243. Evenit casus, quod quispiam Confessarius accepta notitia in excipiendis fidelium confessionibus, de auctore furti in sua parochia commisi, Officio publico auctorem furti detulit, exarando, id sibi ex confessione constare, seque obtenta a poenitente licentia id deferre. Confessarius ille haud dubie ex obtenta a poenitente facultate, licentiam sibi revelandi secreti adesse arbitratur, verum delatio illius, quod secretum ex Confessione Sacramentali revelaverit, non exiguum in eodem Officio publico, cui res delata est, scandalum peperit.

Officii Nostri itaque censemus, universos Dioecesanos Nostros super sequentibus attentos reddere. Quantopere ad servandum secretum eorum, quae a poenitente in Sacramentali Confessione Confessariis aperiuntur, quisque Confessarius teneatur, nemo ignorat, qui vel limina theologiarum scientiarum salutavit. Poenitens in Poenitentiae Tribunali confitetur peccata sua invisibili Deo, coram visibili Vicario Dei in persona

Sacerdotis, haec igitur, quae ei qua Vicario Dei panduntur, qua homo prorsus ignorat, et nullum unquam usum eorum qualicumque ratione facere potest. Poenitenti tamen liberum manet, ea, quae in Sacramentali Confessione est confessus, Confessario qua homini pandere ac privilegio servandi secreti renuntiare, dando facultatem Confessario ea revelandi; haec igitur Confessario non ex Confessione Sacramentali sunt nota, sed ex notitia per poenitentem Confessario qua homini communicata, quae dum ex data sibi a poenitente licentia revelavit, minime ea ex Confessione Sacramentali revelat, sed ex communicata sibi extra Confessionem licentia. Circumspecte itaque plurimi Pastoralistae statuunt, ut in similibus circumstantiis Confessarius poenitentem moneat, ut datam sibi licentiam, separato actu Confessarium accedendo, poenitens confirmet. Sed ii quoque Pastoralistae, qui de danda Confessario licentia separato extra Tribunal Poenitentiae actu silent, non aliter rem intelligunt, quam quod non ex Sacramentali Confessione haustarum notitiarum, sed extra hanc obtentorum, Confessarius ex data sibi licentia usum facere possit.

Praemonemus itaque decanale Officium, ut singulos animarum Curatores adstringat ad perdiscendam rite materiam de servando Sacramentalis Confessionis secreto, ac in proxima visitatione decanali, vel oveniente proxima quoque occasione singulos examinet, et debite instruat et informet. Premissae die 4. Februarii 1841.

Nro. 329. Excelsum C. R. Gubernium dtto 10. Januarii a. c. Nro 87917 demandavit, ut profugus e Conventu Calvariensi Dioecesis Tarnoviensis Presbyter recollisana Sladecz Franciscus, qui die 20. Novembris 1840 fugam arripuit, in casu delectionis ad proximum Conventum adstituatur, et pro ulteriori ejus transportatione relatio exhibeatur. Altum hocce mandatum Clero Dioecesano fine investigandi profugi Presbyteri notificatur. Premissae die 11. Februarii 1841.

Nro. 368. Alto Excelsi C. R. Gubernii Decreto dtto 27. Januarii 1841 Nro. 3700 in vim Supremae C. R. Cancellariae Aulicae Resolutionis dtto 31. Decembris 1840 Nro. 39972 emanato praedisponitur collectio pro communitatibus Circuli Goriciensis per aquarum inundationes gravi damno affectis.

Quam collectionem promovendam Venerabili Clero commendamus cum eo, ut quotas collectas ad C. R. Cassam Circularem comportari faciat. Premissae die 18. Februarii 1841.

Nro. 490. Excelsum C. R. Gubernium sub 6ta Februarii 1841 Nro 7113 in sequelam Supremae C. R. Cancellariae Aulicae Resolutionis dtto 4. Januarii a. c. Nro 39,805 collectionem eleemosynae pro communitatibus Districtuum Ilpfgarten et Ritzbüchl in Tyrolia ingenti imbre vastatorum disponere dignatum est. Quam collectionem tenore praecitati alti Decreti pro viribus promovendam Venerabili Clero commendamus cum eo, ut collectae fors quotae ad C. R. Cassas Circulares comportentur.

Premissae die 25. Februarii 1841.

Nro. 526. Per obitum Reverendissimi Praepositi Capituli Metropolitanani Leopoliensis Equitis a Nem, vacat ad Ecclesiam Metropolitanam Leopoliensem Praelatura Praepositi capitularis infulati, ad quam reocupandam Concurus ad diem 8. Aprilis a. c. duraturus, praesentium tenore promulgatur. Candidati pro isthac Praelatura in termino suprafixo petitiones suas debite adstructas Consistorio huic antepone haece provocantur.

Premissae die 4ta Martii 1841.

Nro. 536. Pro occupando munere Catechetæ penes Gymnasium Stanislæopolitense, cum quo annuum
meritum 500 fl. C. M. conjunctum est, promulgatur hæc in sequelam altæ Gubernialis Ordinationis d'to
9. Februarii 1841 Nro 6355 Concursus, in Lujati Cancellaria Consistoriali die 4ta Maji 1841 cele-
brandus.

Candidati examen hocce concursuale subire volentes, petita sua debite adstructa Consistorio huic sub-
mittant, et in termino præfixo pro examine compareant. Premissæ die 4ta Martii 1841.

Nro. 566. Observantes, quod nonnulli ex Clero dioecesano, concurrente pro vacantibus beneficiis,
petita sua immediate Consistorio exhibere soleant, revocamus singulis in memoriam Ordinationem Consisto-
rialem d'to 30. Novembris 1839 Nro 2346 cum eo, quod petita non mediante Decano, cujus relatio con-
comitativa adclusa esse debet, Consistorio submissa, absque omni usu officioso ad acta reponentur.

Premissæ die 6ta Martii 1841.

FRANC. XAV. EPISCOPUS.

Ex Consistorio Episcopali r. l.
Premissæ die 8va Martii 1841.

Franciscus Iliński
Cancellarius.

